



menta, v. g. Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, quia tunc Moribundus non censetur hoc Sacramento graviter indigere, Doctores putant, præfatum sacerdotem, qui hoc Sacramentum ministrare nollit, solum venialiter peccatum, quatenus contra Charitatem est proximo tantum Bonum sine ulla ista causa denegare, & incommodo. Et hæc opinio teste Masivio cit. num. 91. est probabilior.

86 IV. Difficultas Ulterior est, an Parochus tempore Pestis teneatur Sacramentum Extremæ Unctionis suis Parochianis administrare eum periculo vitæ? Ad quam respondeo cum Masivio cit. numer. 93. & probabiliori, cum distinctione: Vel infirmus confessus fuit in infirmitate, aut paulo ante, & probabiliter ex statu ipsius constat, eum postea non peccasse mortaliter: in tali casu Parochus non tenetur se exponere periculo vitæ, ut tali infirmo suo Parochiano hoc Sacramentum administret; quia in hoc casu probabiliter existimari debet, quod sit in statu gratiæ, & quod non sit necessarium hoc Sacramentum; quamvis enim sit utile, ex hoc tamen non incumbit Parochi obligatio illud ministrandi cum periculo vitæ; Certum enim videtur, quod quis non teneatur pro utilitate spirituali proximi exponere se periculo vitæ, si alius sufficienter provisum est ejus saluti spirituali. Si vero infirmus non sit confessus, aut post Confessionem, verisimile est, ipsum mortaliter peccasse, & sit in statu, quo amplius confiteri non possit, nec antea. Confessionem perierit, videtur dicendum, quod Parochus teneatur sub mortali Sacramentum extremæ unctionis ipsi ministrare, etiam cum periculo vitæ; quia tunc hoc Sacramentum debet existimari esse ipsi necessarium, ut dimittatur ipsi saltem per accidens peccatum mortale; supponitur enim communiter, quod Sacramentum hoc habeat talem virtutem, modo infirmus habeat attritionem de peccatis, sic enim mediante hoc Sacramento fiet de Attrito Contritus. Ratio est: quia bonus Pastor debet dare animam suam pro Ovis suis, hoc est, suam vitam corporalem exponere periculo mortis ad salvandam vitam spiritualem animæ suarum Ovium. Supponamus autem in casu, quod talis infirmus non possit juvari per Absolutionem sacramentalem, si enim per hanc juvari posset, per eandem ex Attrito fieret Contritus, nec amplius extrema unctio foret ipsi necessaria ad salutem. Ita Aversa quæst. 64. de Sacramentis in Genere sect. 7. cum pluribus aliis apud Mastrium citat. num. 94. in fine idem docet Herincx disp. 9. de Extrema unctioe, quæst. 4. numer. 31. addens: Deinde si Parochus nihilominus discrimen Vitæ subire debeat, audiendo Confessionem, & absque novo periculo gravi possit eadem opera ministrare Extremam unctioem existimo omnino ipsum ad hoc teneri: Nil enim excusare potest, nisi subeundum periculum vitæ, quod eundem subeundum supponitur.

§. IV. Regule observandæ in administrando Sacramento Extremæ Unctionis.

REGULA I.

87 Quamquam nimia facilitas, & festinatio in hoc Sacramento conferendo non sit probanda, multo tamen magis fugiendum est oppositum extremum, ut scilicet, cum de periculo mortis timetur, non statim detur hoc Sacramentum, aut diutius expectetur: Nam in multis videmus (nec id raro) propter dilationem, vel non integrè potuisse conferri hoc Sacramentum; vel alienatis omnino mente, & extra omnem sensum fuisse administratum, ubi dubium non est, multum deperire infirmis. Ita Petrus Soto de Extrema unctioe Lect. 2.

REGULA II.

88 Quando Parochus advertit, aliquem periculosè decumbentem tergiversari circa receptionem Extremæ unctiois, dextrè conetur expiscari, an illa tergiversatio non proveniat ex aliquibus falsis imaginationibus, & stultis apprehensionibus, verb. grat. quod inuncti citius moriantur, quod non possint condere testamentum, quod si convalescant, non possint amplius in Choreis saltare, vel nudis pedibus incedere, vel calceos induere &c. & si repererit, conetur omni possibili modo, istos errores, & falsas imaginationes dedocere infirmum: quia nihil sunt, nisi merè stultæ apprehensiones, & diabolicæ tentationes; eum nullibi legatur, Sacramentum Extremæ unctiois producere hos effectus: imò e contrario constat, recuperationem sanitatis, si animæ saluti expedierit esse effectum hujus Sacramenti, ut sect. seq. dicemus, quod etiam pa-

ret ex casu sequenti, quem describit P. Gobat tr. 8. casu 22. n. 883. his verbis.

Nicolaus de Nisa Ordinis Minorum in Gemma Prædicatorum scribit, quemdam in majori cæteroque meriti interrogatum, an vellet ungi? respondit: Nolite, inquit, Obsecro: quia omnes, qui unguuntur, moriuntur: atque in iis verbis obiisse. Cum verò inter amicos involveretur, aperuisse oculos, & hæc dixisse: Quia Extremæ Unctionis Sacramentum abhorruis, centum annis in purgatorio, Justo DEI Judicio, torquebor: si unctus fuisset, de Egritudine convalescisset; Sacra enim unctio non est acceleratio mortis, sed dilatio: atque his dictis iterum expirasse. Non male fieret, judicio Patris Gobat: si Parochi, & Concionatores hunc casum in concionibus populo proponerent, ut non tamdiu subinde Extremam Unctionem suscipere differret.

REGULA III.

90 Parochus non sit nimium scrupulosus circa iterationem hujus Sacramenti. Cum enim certum sit ex una parte, per illud non imprimi Characterem, ac proinde esse naturam iterabilem: Ex altera autem parte nulla lex scripta determinet, an, & quoties liceat, aut non liceat iterare hoc tam salutiferum Sacramentum, inclinet Parochus potius (præsertim, quando videt, fore pergratum ægro) in iterationem, quam omissionem iterationis, probè memor Aureæ Sententiæ ex S. Leone, cap. si nulla dist. 4. de consecr. Non temeritas, intervenit præsumptionis, ubi est diligentia pietatis. Quando autem iterandum sit Extremæ Unctionis Sacramentum dicitur sect. seq.

REGULA IV.

91 Est perniciosus error illorum, qui se omnem erga infirmos Pastoralis Officii partem explevisse existimant, quia Sacramenta Pœnitentiæ, Viatici, Extremæ Unctionis administrarunt. Itaque nihil ultra moment: Recepti, inquit, sua Sacramenta: Nihil mihi isthic superest negotii, præsertim si me revocat nemo. Sed agendum, dic queso, quid isti homini proderit accepisse gratiam, si eam ante mortem perdidit? Quam autem sit hoc facile? Urgent enim tunc graviores astutus dæmonum, vis morbi fit acrior, animus fractior: heu, quam sæpè, & quam sæda in ipso portu naufragia à latentibus scopulis, angustis faucibus, irruentibus procellis? dum Magister navis vel abest, vel dormit, quasi jam de re sua tota securus. Adibis igitur etiam non vocatus, præsertim si cognoveris, à morbo, aut à tentationibus infirmum in præsentem salutis discrimine versari. Ita Carolus Mussart in Manuali Parochorum.

92 Claudio hanc sectionem, & quæstionem factio Serenissimi Ministri seipsum quotidie, non quidem sacramentaliter, sed devotionaliter ungentis: Somnus eum quædam imago mortis sit, quique concedit cubitum, etiam ipse habeat imaginem morituri, quoties vespere decumbere Serenissimus, & Reverendissimus Archidux Leopoldus Guilielmus, assimulatione quadam piissima adumbratam Extremam Unctionem adhibebat sibi cum aqua benedicta, & dicebat: Per istam sanctam unctioem, & suam Piissimam Misericordiam indulget mihi DEUS, quidquid in anima per cordis affectum, & potentias internas commisi: & quidquid in Corpore per sensus externos contra rationem, & virtutem deliqui. Sic scribit P. Nicolaus Avancius part. 1. cap. 2. libri, cui titulus est: Leopoldi Guilielmi Archiducis Austriæ Virtutes. Vide Gobat tr. 8. casu 22. n. 904.

SECTIO IV.

De subiecto, necessitate, effectu, & ceremoniis Sacramenti Extremæ Unctionis.

QUÆSTIO I.

De subiecto Extremæ Unctionis.

SUMMARIUM.

- 93 Subiectum Extremæ Unctionis validè recipiendæ est Homo, Viator, Baptizatus: 94. Adultus, & seq.
97 Periculosè infirmus, 98. Prudentum saltem judicio.
99 Enumerantur, qui possint extremè inungi;
100 Et qui non.
101 Non debet in administranda Extrema Unctioe expectari extremum mortis periculum.
102 Refertur aliquis Casus.

- 103 Ut quis validè possit extremè inungi, debuit aliquando personaliter peccavisse.
104 Ad recipiendam licitè, & fructuosè Extremam Unctionem requiritur in subiecto status gratiæ.

ASSERTIO I.

92 Subiectum Extremæ Unctionis validè recipiendæ est homo, Viator, Baptizatus, adultus, qui nimirum semel habuit usum rationis, & intentionem hoc Sacramentum suscipiendi, periculosè infirmus, & qui aliquando peccavit personaliter: ut verò etiam licitè, & fructuosè recipiatur, requiritur per se loquendo status gratiæ. Communissima DD. apud Layman, Gobat, Mastrium, Herincx, La Croix, & alios.

§. I. Subiectum Extremæ Unctionis validè recipiendæ est Homo Adultus.

93 I. Certum est apud omnes, solum hominem Viatorem in hac vita mortali degentem, esse hujus Sacramenti capacem, ex generali Doctrina de Sacramentis in genere tradita; quia Sacramenta sunt solum instituta pro hominibus Viatoribus, qui sunt medicinæ vel augmenti gratiæ capaces, & non pro aliis, qui jam sunt in termino vitæ; Unde quando de vita inungendi dubitatur, an scilicet sit adhuc vivus, inungendus est sub conditione: Si est vivus. Debet etiam hic viator esse baptizatus, ea generali ratione, quod Baptismus est Janua ad reliqua Sacramenta validè recipiendæ, ut habetur in Concilio Florentino in Decreto Eugenii. Unde si hoc Sacramentum conferatur non baptizato, etiam si sit Catechumenus, & in gratia existens per baptismum flammis, irritum est, & invalidum juxta omnes.

94 II. Debet etiam esse adultus, hoc est, talis, quod ad usum rationis pervenerit; quare infantes, & perpetuò amentes non sunt capaces hujus Sacramenti. Communis DD. Mastrius Theol. Moral. disp. 22. q. 5. nu. 69. Layman, Sa, Aversa, & alii apud La Croix, 6. p. 2. n. 2110. Ratio est: Tum quia Sacramentum Extremæ Unctionis est consummativum Sacramenti pœnitentiæ, ut loquitur Concil. Trid. sect. 14. in Doctrina de extrema Unctioe; Sed infantes, & perpetuò amentes non sunt capaces Sacramenti Pœnitentiæ: Ergo nec Sacramenti Extremæ Unctionis, cum hoc sit illius consummativum, & complementum: Tum quia in infantibus, & perpetuò amentibus falsificaretur forma hujus Sacramenti, quæ est: Per istam sanctam Unctioem &c. indulget tibi Dominus, quidquid deliquisti &c. Siquidem infantes, & perpetuò amentes delinquere non possunt ob defectum usus rationis: Tum quia non sunt capaces præcipui effectus hujus Sacramenti, scilicet remissionis peccatorum personalium, præsertim venialium. Adhuc tamen plures Theologi apud Masstr. cit. & La Croix cit. Rectè docent Sacramentum Extremæ Unctionis validè conferri posse pueris, & puellis, qui ad ætatem, & rationis discretionem pervenerunt, ut Sacramenti pœnitentiæ sint capaces; quamvis SS. Eucharistiam nondum receperint, nec adhuc idonei ad illam recipiendam judicentur. Et hæc est communis DD. Sententia, Navarrus, Suarez, Aversa, Layman, Burghaber centuria 3. casu 93. Ratio est: quia capax Sacramenti pœnitentiæ est etiam capax Extremæ unctiois nec in his forma Extremæ unctiois falsicaretur, suntque capaces præcipui effectus ejusdem, scilicet remissionis peccatorum, præsertim venialium. In dubio, an puer, vel quicumque alius infirmus sit usus ratione, ungendus est juxta La Croix cit. num. 2111. quia hoc Sacramentum non est tantum ad peccata, & peccatorum Reliquias tollendas, sed etiam ne æger in agone tentationibus succumbat, & ut, si ita expedit, sanitati restitatur. Ita Joannes Sanchez, Diana, Aversa, & alii apud La Croix citat.

95 III. Non tamen ad validè suscipiendam Extremam Unctionem requiritur, ut quando suscipitur, suscipiens habeat actualem rationis usum, sed sufficit; quod aliquando habuerit usum rationis, etiam si defacto nullum rationis iudicium ostendat; dummodò certò non constet, eum, antequam rationis usum amisit, fuisse in peccato; & de illo non doluisse, veluti si quis blasphemus itatim in amentiam incidere. Ita Paludanus, Soto, Navarrus, Sylvester, Suarez, Amicus, Aversa, Brancatus, Faber, citati à Mastrio cit. nu. 70. & alii passim, & eandem doctrinam ferè omnia ritualia tradunt, & Catechismus ipse Romanus. Ratio est: quia primarius hujus Sacramenti effectus non est tantum animi roboratio contra Dæmonis tentationes, sed præsertim etiam peccatorum venialium remissio, & aliorum quoque inculpabiliter obitorum mortalium, ut constat ex qu. 3. seq. vel quæ per alia Sacramenta non fuerunt remissa: Ergo

quamvis infirmi defacto sint amentes, vel ratione delituti, & consequenter non sint capaces illius primi effectus, scilicet roborationis contra tentationes Dæmonis, adhuc tamen ad illud melius præparare valent; hoc equidem exigit reverentia huic Sacramento debita. Unde quando amentes actus faciunt indecentes, & irreverentes, curare debet Minister, ut hoc Sacramentum conferat eo tempore, in quo furiosus ab illis motibus abstinet, vel saltem tempore somni, vel saltem debet furiosus ligari, & ita inungi, ut volent Aversa, Barboja, Diana, & alii Summittæ.

IV. Adultus, ut validè recipiat hoc Sacramentum, si ne dubio debet habere intentionem saltem habitualemente suscipiendi hoc Sacramentum, vel saltem voluntatem Generalem vivendi, & moriendi more Christiano Catholico; juxta certam Doctrinam de Sacramentis in Genere, apud P. Sporer, Theol. Sacram. parte 1. cap. 2. sect. 4. d. num. 139. quem, quæso, vide.

§. II. Periculosè Infirmus.

97 I. Seu in periculo mortis constitutus, vel ex morbo, vel ex vulnere, vel ex veneno potato, vel ex partu, vel ex senectute. Omnes. Ratio est: quia S. Jacobus in sua Epistola cap. 5. ait: Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ &c. Nec sufficit qualiscunque infirmitas, sed debet esse periculosa, ita ut prudenter timeatur ex ea mors secutura, prout insinuat Concilium Florent. citat. dicens: Hoc Sacramentum, nisi infirmo, de cuius morte timeatur, dari non debet, & etiam Tridentinum sect. 14. cap. 4. de Extrema Unctioe, dicens: Declaratur etiam, esse hanc Unctioem infirmi adhibendam, illis verò præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vite constitui videantur: Unde, & Sacramentum executum nuncupatur. Ex quibus Doctores communissimè inferunt, quod periculosa infirmitas in inungendo, non tantum sit conditio ad effectum Sacramenti requisita, sed etiam ad valorem. Difficultas tantum est an ad validitatem Sacramenti Extremæ Unctionis requiratur, quod infirmus versetur in vero periculo vitæ? an verò sufficiat, ut tantum sit in periculo probabiliter putato? Ratio dubitandi est: quia ad valorem Sacramenti non sufficit materia, sed necessaria est illa, quam Christus reipsa instituit; atque ita ad valorem hujus Sacramenti ea infirmitas erit necessaria conditio, quam Christus reipsa instituit.

98 II. Hoc non obstante, dicendum cum Doctore Subtili apud Mastrium citat. numer. 73. Ad valorem hujus Sacramenti satis esse, ut morbus probabiliter putetur esse periculosus, Medicorum, & peritorum Judicio. Ita Coninch, disput. 19. dub. 9. Amicus, & alii recentiores apud Mastrium citatum, quod satis clarè colligitur ex præcatis Concilii Tridentini verbis, cum inquit, hoc Sacramentum illis duntaxat infirmis conferendum esse, qui in exitu vite constitui videantur; non enim dixit: sine; quod designat periculum in reipsa; sed ait: Videantur, quod ad prudens Judicium refertur. Hoc idem clarè colligitur ex communi summistarum doctrina, qui dicunt, expectandum non esse supremum mortis Articulum, & inevitabile periculum, quando infirmus animam agit, sed constitutus in mortis periculo, etiam si alioquin spe vitæ non careat, omnino hoc Sacramentum esse conferendum, ut ob Sacramenti reverentiam aliquem possit devotionis actum in eius susceptione elicere. Hoc etiam ratio ipsa suadet; quia si hoc Sacramentum ad sui valorem requireret verum vitæ periculum in reipsa, sequeretur multoties, hoc Sacramentum suo effectu frustrari; quia non potest semper moraliter sciri, quando sit verum, & certum periculum mortis: cum ex causis occultis hoc sæpè dependeat. Ex quo etiam patet solutio rationis dubitandi in oppositum adductæ. Dispar enim est ratio de materia Sacramentorum; Non est tanta difficultas dignoscendi eam ipsam, quam Christus reipsa instituit, quanta est difficultas dignoscendi verum, & certum mortis periculum; Nam illa pendet ex causis patentibus, & notis, nimirum ex ipsa Christi Domini institutione nobis manifestata; hoc verò pendet à causis occultis. Ex his

III. Sequitur, posse extremè inungi eum, qui postem con-